

**Añã.** Convenérunt in unum advérsus Dóminum, et advérsus Christum ejus.

**Ps.** Quare fremuérunt Gentes. [31]

**Añã.** In tribulatióne dilatásti mihi.

**Ps.** Cum invocárem. [34]

**V.** Glória et honóre coronásti eum Dómine. **R.** Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

De Isaia Prophéta.

**Lectio j.** **Cap. liij.**

**Q**uis crédidit auditui nostro? et bráchium Dómini cui revelátum est? Et ascéndet sicut virgúltum coram eo, et sicut radix de terra sitiéti: non est spécies ei, neque decor: et vidimus eum, et non erat aspéctus, et desiderávimus eum: despéctum, et novíssimum virórum, virum dolórum, et sciéntem infirmitátem: et quasi absconditus vultus ejus et despéctus, unde nec reputávimus eum. Vere languóres nostros ipse tulit, et dolóres nostros ipse portávit: et nos putávimus eum quasi leprósum, et percússum a Deo et humiliátum. Ipse autem vulnerátus est propter

iniquitátes nostras, attritus est propter scélera nostra: disciplína pacis nostræ super eum, et livóre ejus sanáti sumus.

**R.** Maledicta terra in ópere hóminis, \* Spinas et tríbulos germinávit Christo. **V.** Quia comédit Adam de ligno, ex quo præcéperat Deus ne coméderet. — Spinas.

**Lectio ij.**

**O**Mnes nos quasi oves errávimus, unusquisque in viam suam declinávit: et pósuit Dóminus in eo iniquitátem ómnium nostrum. Oblátus est quia ipse vóluit, et non apéruit ossuum: sicut ovis ad occisiónem ducétur, et quasi agnus coram tondénte se obmutéscet, et non apériet os suum. De angústia, et de júdicio sublátus est: generatióne ejus quis enarrábit? Quia abscíssus est de terra vivéntium: propter scelus pópuli mei percússi eum.

**R.** Appáruit Móysi Dóminus in flamma ignis de médio rubi: \* Et vidébat quod rubus ardéret, et non comburerétur. **V.** Dixit ergo Móyses: Vadam et vidébo visióne hanc magnam. — Et vidébat.

**Lectio iij.**

**E**T dabit ímpios pro sepultúra, et dívitem pro morte sua: eo quod iniquitátem non fécerit, neque dolus fúerit in ore ejus. Et Dóminus vóluit contérrere eum in infirmitáte: si posúerit pro peccáto ánimam suam, vidébit semen longævum, et volúntas Dómini in manu ejus dirigétur. Pro eo quod laborávit ánima ejus, vidébit et saturábitur: in sciéntia sua justificábit ipse justus servus meus multos, et iniquitátes eórum ipse portábit.

**R.** Ecce ignis, et ligna, Deus providébit sibi, \* Victimam holocáusti. **V.** Levávit Abraham óculos suos, vidítque post tergum aríetem inter vepres hæréntem. — Víctimam. Glória. Victimam.

**In II. Nocturno.**

**Añã.** Dómine ut scuto bonæ voluntátis tuæ coronásti eum.

**Ps.** Verba mea. [34]

**Añã.** Minuísti eum paulo minús ab Angelis, glória et honóre coronásti eum.

**Ps.** Dómine Dóminus noster. [35]

**Añã.** Peccatóres intenderunt arcum, paraverunt

sagíttas suas in pháretra, ut sagíttent justum.

**Ps.** In Dño confido. [38]

**V.** Posuísti Dómine super caput ejus. **R.** Coronám de lápide pretiósio.

Sermo sancti Bernárdi Abbátis.

Serm. ij. in Epiph. Dñi.

**Lectio iv.**

**G**redimini filíæ Sion: vobis dícimus, filíæ Sion, ánimæ sæculáres, débiles, delicátæ, filíæ, et non filii, in quibus nihil est fortitúdinis, nihil est virílis ánimi. Egredimini de sensu carnis ad intelléctum mentis, de servitúte carnális concupiscétiæ ad libertátem spirituális intelligétiæ. Egredimini de terra vestra, et de cognatióne vestra, et de domo patris vestri, et vidéte regem Salomónem in diadémate, quo coronávit eum mater sua, in coróna paupertátis, in coróna misériæ: síquidem coronátus est et a novérca sua coróna spinea, coróna misériæ; coronándus a família sua coróna justítiæ, quando exíbunt Angeli, et tollent de regno ejus ómnia scándala, quando véniet ad júdiciu cum senióribus

pópuli sui, cum pugnabit pro eo orbis terrarum adversus insensatos. Coronat eum et Pater coronam glóriæ, sicut ait Psalmista : Glória et honóre coronasti eum Dómine. Videte eum, filíæ Sion, in diadémate, quo coronávit eum mater sua.

**R.** Cum apparuerit Princeps pastórum, quo percussio, dispersæ sunt oves gregis, \* Percipiétis immarcescibilem glóriæ coronam. **V.** Cum fécerit grande convívium, ut osténdat divítias glóriæ regni sui. — Percipiétis.

**Lectio v.****Serm. xlj. in Canticis.**

**E**GO, fratres, ab ineunte mea conversióne pro acervo meritórum, quæ mihi deesse sciébam, mihi fasciculum colléctum ex ómnibus anxietatibus et amaritudínibus Dómini mei colligáre, et inter úbera mea collocáre curávi. Memóriam abundantíæ suavitatís horum eructábo quoad víxero : in ætérnum non oblivíscar miseratiónes istas, quia in ipsis vivificátus sum. Mihi hic salutáris fasciculus servátus est : nemo tollet eum a me : inter úbera mea com-

morábitur. Hæc meditári, dixi sapiéntiam : in his justítiae mihi perfectiónem constitúi, in his plenitudínem sciéntiae, in his divítias salutís, in his cópias meritórum. Ex his mihi intérdum potus salutáris amaritudínis, ex his rursus suávis úctio consolatiónis. Hæc me érigunt in advérsis, in prospéris réprimunt, et inter læta trístiaque vitæ præsentis via régia incedénti tutum præbent utrobique ducátum, hinc inde mala imminéntia propulsádo. Hæc mihi concíliant mundi júdicem, dum treméndum potestátibus, mitem humilémque figúrant, dum non solum placáblem, sed et imitábilem præsentant eum, qui inaccessibleis est principátibus, terríbilis apud reges terræ.

**R.** Accépit regnum decóris : \* Et diadémata speciéi. **V.** Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen. — Et.

**Lectio vij.**

**H**ÆC propterea mihi in ore fréquenter, sicut vos scitis : hæc in corde semper, sicut Deus scit : hæc stylo meo ádmodum

familiária, sicut appáret : hæc mea sublímius ínterim philosóphia, scire Jesum, et hunc crucifixum. Non requíro, sicut sponsa, ubi cubet in meridie, quem lætus ampléctor mea ínter úbera commorántem. Non requíro, ubi pascat in meridie, quem intúeor Salvatórem in cruce. Illud sublímius, istud suávius : panis illud, hoc lac : hoc víscera réfcit parvulórum, hoc replet úbera matrum, et ídeo inter úbera mea commorábitur. Hunc et vos, dilectíssimi, tam diléctum fasciculum colligite vobis : hunc medúllis insérite cordis, hoc muníte áditum pectoris, ut et vobis inter úbera commorétur. Si enim ante óculos habueritis quem portátis, pro certo vidéntes angústias Dómini, levius vestras portábitis, ipso auxiliánte Ecclesiæ sponso, qui est super ómnia Deus benedíctus in sæcula. Amen.

**R.** Arcam de lignis Setim deaurábis auro mundíssimo intus et foris : \* Faciésque supra coronam áuream per circúitum. **V.** Pones in arca testificatióne, quam da-

bo tibi. — Faciésque. Glória Patri. Faciésque.

**In III. Nocturno.**

**Añã.** Ingréssus sine mácula, et operátus justítiam, coronátus est in monte sancto tuo.

**Ps.** Dómine quis habitábit. [38]

**Añã.** Super caput ejus coronam de lápide pretiósó posuísti Dómine.

**Ps.** Dñe in virtúte. [38]

**Añã.** Adversus eos, qui tríbulant me, impinguásti in óleo caput meum.

**Ps.** Dóminus regit. [309]

**V.** Coróna áurea super caput ejus. **R.** Expressa signo sanctitátis.

Lectio sancti Evangélii secúndum Joánnem.

**Lectio vij. Cap. xix.**

**I**N illo témpore : Apprehéndit Pilátus Jesum, et flagellávit. Et mílites plecténtes coronam de spinis, imposuerunt cápiti ejus. Et reliqua.

Homília sancti Bernárdi Abbátis.

**Ex Serm. I. de diversis.**

**I**dete, filíæ Sion, regem Salomónem. Non dicit Ecclesiásten, aut Ididam. Nam et his nomínibus appellátus est rex ille, et signíficat Jesum Christum,

nostrum verum Salomónem, qui est Sálomon, id est, pacíficus in exsílio : Ecclesiástes, id est, concionátor in iudicio : Idida, id est, diléctus Dómini in regno, ibique rex. In exsílio mansuétus, in iudicio justus, in regno gloriósus. In exsílio amábilis, in iudicio terríbilis, in regno admirábilis. In diadémate, quo coronávit eum mater sua. Est autem hæc coróna misericórdiæ, et in hac imitábilis. Coronávit eum et novérca sua coróna misériæ, et in hac contemptíbilis. Synagógam loquor, quæ se ei non matrem exhibuit, sed novércam.

℞. Fácies altáre ad adoléndum thymiáma de lignis Setim, \* Fáciésque ei corónam auréolam per gyrum. ℣. Ponésque altáre contra velum coram propitiatório. — Fáciésque.

**Lectio viij.**

**C**oronábit eum família sua coróna justítiæ, et in hac terríbilis : coronat eum Pater suus coróna glóriæ, et in hac desiderábilis. Videant ergo eum peccatóres in coróna misériæ, id est spinea, et compungántur : videant

eum filíæ Sion, ánimæ affectuósæ, in coróna misericórdiæ, et imiténtur. Vidébunt eum ímpii in coróna justítiæ, et períbunt : vidébunt eum Sancti in coróna glóriæ, et perpetuáliter gaudébunt. Coronántur quidem et álíi imitatóres ipsius; sed hoc ex indústria adjúti per grátiam. Solus iste a matre coronátus est, quia solus cum ordinátis affectiónibus, tamquam sponsus e thálamo, processit ex útero matris.

℞. Christus sciens dolórem et infirmitátem, spinis coronátus : \* Ipse est qui coronat vos in misericórdia et miseratióibus. ℣. Vulnerátus propter iniquitátes nostras, attrítus propter scélera nostra, cujus livóre sanáti sumus. — Ipse. Glória Patri. Ipse.

**Lectio ix. de Homilia Feriæ.**

Te Deum. 20.

**AD LAUDES,****et per Horas, Añæ.**

1. Diléctus meus \* candidus et rubicúndus, comæ cápitis ejus sicut púrpura regis vincta canálibus.

2. Requiévit super eum \* spíritus timóris Dómini :

coróna sapiéntiæ et exsultatiónis decorávit illum.

3. Induit eum \* Dóminus vestiméntis salutis, et induménto justítiæ quasi sponsum decorátum coróna.

4. Fascículus myrrhæ diléctus meus mihi, inter úbera mea commorábitur.

5. Rex ætérnæ glóriæ \* pro nobis coronátus, benedíctet corónæ anni benignitátis suæ.

**Capitulum.****Cant. iij.**

**E**gredimini, et vidéte filíæ Sion regem Salomónem in diadémate, quo coronávit illum mater sua.

**Hymnus.**

**L**Egis figúris píngitur Christi coróna nóbilis : Impléxa spinis víctima, Ardénsque testátur rubus. Arcam coróna cínxerat, Mensæque sacrum circulum, Arámque thure fúmidam Coróna nectit ámbiens. Christi dolórum cónsčia, Salve, coróna glóriæ, Gemmis et auro púlchríor, Vincens corónas síderum. Virtus, honor, laus, glória Deo Patri cum Fílio, Sancto simul Paráclito, In sæculórum sæcula.

Amen.

℣. Eris coróna glóriæ, in manu Dómini. ℞. Et diadéma regni in manu Dei tui.

**Ad Bened. Añæ.** Exívit Jesus portans spineam corónam, et purpúreum vestiméntum.

**Oratio.**

**P**Ræsta quæsumus omnípotens Deus : ut qui in memóriam passiónis Dómini nostri Jesu Christi corónam ejus spineam venerámur in terris, ab ipso glória et honóre coronári mereámur in cœlis. Qui tecum vivit.

**Commem. Feriæ.****AD TERTIAM.****Capit. Egredimini supra.**

℞. br. Eris coróna glóriæ, \* In manu Dómini. Eris. ℣. Et diadéma regni in manu Dei tui. In manu. Glória Patri. Eris.

℣. Glória et honóre coronásti eum Dómine. ℞. Et constituísti eum super ópera mánuum tuárum.

**AD SEXTAM.****Capitulum. Apoc. vj.**

**V**idi, et ecce equus albus, et qui sedébat super illum, habébat arcum, et data est ei coróna, et exívit vincens ut vínceret.

℞. br. Glória et honóre, \* Coronásti eum Dómine.

Glória. *℣.* Et constituisti eum super ópera mánuum tuárum. Coronásti. Glória Patri. Glória et honóre.

*℣.* Tuam coronam adorámus Dómine. *℟.* Tuam gloriósam recólimus passióem.

AD NONAM.

Capitulum. *Isaiaë xxviii.*

**I**N die illa erit Dóminus exercítuum coróna glóriæ, et sertum exsultatiónis residuo pópuli sui.

*℟. br.* Tuam coronam, \* Adorámus Dómine. Tuam coronam. *℣.* Tuam gloriósam recólimus passióem. Adorámus. Glória Patri. Tuam.

*℣.* Plecténtes coronam de spinis. *℟.* Posuerunt super caput ejus.

IN II. VESPERIS.

*Añæ et Capit. ut in Laud. Psalmi ut in j. Vesp. de Communi Apostol. [2] Hymnus ut in j. Vesperis. [375]*

*℣.* Plecténtes coronam de spinis. *℟.* Posuerunt super caput ejus.

*Ad Magnif. Añæ.* Et genufléxo ante eum, illudébant ei, dicéntes : Ave Rex Judæórum : et exspuéntes in eum, accepérunt arúndinem, et percutiébant caput ejus.

*Commem. Feriæ.*

— \* — **Festa sira.** — \* —

DIE XXVII. NOVEMBRIS.  
Manifestationis Immaculatae Virginis Mariæ a Sacro Numismate.

*Duplex ij. classis vel Duplex majus.*

*Omnia ut in Festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. 537. præter sequentia.*

IN I. VESPERIS.

*℣.* Signum magnum apparuit in cœlo. *℟.* Múlier amícta sole et luna sub pédibus ejus.

*Ad Magnif. Añæ.* Qui me invénerit, invéniet vitam et háuriet salútem a Dómino.

*Oratio.*

**D**omine Jesu Christe, qui beatíssimam Virginem Mariam matrem tuam ab origine immaculatam innúmeris miraculis claréscere voluisti : concéde; ut ejúsdem patrocínium semper implo-rántes, gáudia consequámur æténa. Qui vivis.

*Commem. Feriæ.*

AD MATUTINUM.

*Hymnus.*

**T**utela præsens ómnium,  
Salvéto Mater Núminis;  
Intácta in Hevæ fíliis,  
Tu fœda mundes pectora.  
Numísma quos ornat tuum,  
Fove benigno lúmine;  
Virtus sit inter prælia  
Ægisque in hostes præpotens.

Sit fléntibus solátium,  
Ægris levámen ártubus;  
In mortis hora, fúlgidæ  
Æternitátis spónsio.

Jesu, tuam qui finiens  
Matrem dedisti sérvulis,  
Precánte Matre, fíliis  
Largíre cœli gáudia.

Amen.

IN I. Nocturno.

*℣.* Qui me invénerit invéniet vitam. *℟.* Et háuriet salútem a Dómino. De Apocalypsi beáti Joánis Apóstoli.

*Lectio j. Cap. xij.*

**S**ignum magnum apparuit in cœlo : Múlier amícta sole, et luna sub pédibus ejus, et in cápite ejus coróna stellárum duódecim : et in útero habens, clamábat partúriens, et cruciábat ut páriat. Et visum est áliud signum in cœlo :

et ecce draco magnus rufus, habens cápita septem, et córnua decem; et in capítibus ejus diadémata septem : et cauda ejus trahébat tértiam partem stellárum cœli, et misit eas in terram, et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritúra; ut, cum peperisset, filium ejus devoráret. Et péperit filium másculum, qui rectúrus erat omnes gentes in virga férrea; et raptus est filius ejus ad Deum, et ad thronum ejus; et múlier fugit in solitúdinem, ubi habébat locum parátum a Deo, ut ibi pascant eam diébus mille ducéntis sexagínta.

*℟.* Per unum hóminem peccátum in hunc mundum intrávit, in quo omnes peccavérunt. \* Ne tíneas María, invenísti grátiam apud Deum.

*℣.* Erípuit Dóminus ánimam tuam de morte, et contra inimícum factus est protéctor tuus. — Ne.

*Lectio ij.*

**E**T factum est prælium magnum in cœlo : Míchael et Angeli ejus proeliabántur cum dracóne, et draco pugnábat, et ángeli ejus : et non va-

luérunt, neque locus inventus est eorum amplius in celo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem: et projectus est in terram, et angeli ejus cum illo missi sunt. Et audivi vocem magnam in celo dicentem: Nunc facta est salus, et virtus, et regnum Dei nostri, et potestas Christi ejus: quia projectus est accusator fratrum nostrorum, qui accusabat illos ante conspectum Dei nostri die ac nocte. Et ipsi vicerunt eum propter sanguinem Agni et propter verbum testimonii sui, et non dilexerunt animas suas usque ad mortem. Propterea letamini coeli, et qui habitatis in eis. Vae terrae, et mari, quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.

**R.** Transite ad me omnes qui concupiscitis me: \* Et narrabo vobis quanta fecit Deus animae meae. **V.** Vivit Dominus, quoniam adimplevit in me misericordiam suam. — Et narrabo.

**Lectio iij.**

**E**T postquam vidit draco quod projectus esset in terram, persecutus est mulierem, quae peperit masculum; et datae sunt mulieri alae duae aquilae magnae, ut volaret in desertum in locum suum, ubi alitur per tempus et tempora et dimidium temporis, a facie serpentis. Et misit serpens ex ore suo post mulierem, aquam tamquam flumen, ut eam faceret trahi a flumine. Et adjuvit terra mulierem; et aperuit terra os suum, et absorbit flumen, quod misit draco de ore suo. Et iratus est draco in mulierem: et abiit facere proelium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, et habent testimonium Jesu Christi. Et stetit supra arenam maris.

**R.** Elécta mea. 541.

**In II. Nocturno.**

**V.** Mélior est fructus meus auro. **R.** Et gemina mea argento electo.

**Lectio iv.**

**I**Nno Christi millésimo octingentésimo trigésimo, quod legitima testantur monumenta. beatíssima Dei

Mater sanctimoniáli cuiusdam feminae, Catharinae Labouré nuncupatae, e familia Puellarum Caritatis sancti Vincéntii a Paulo, sese videndam exhibuit; eamdémque jussit curare ut Numisma in honorem Immaculatæ Conceptionis suae cuderetur. Cudendi autem ea lex erat ex visu, ut in adversa fronte Deiparae prostaret effigies, virgineo quidem pede serpentis proterens caput, manibus vero patulis subiectum terrae orbem radiis illustrans; inscripta circum circa ea prece: O Maria concepta sine peccato, ores pro nobis qui ad te confugimus. Inesse autem in fronte aversa sacrosanctum Mariae nomen debebat, emittente supra crucis signo, binis inferius adjectis cordibus, altero obsito spinis, altero ense transfosso. Jubenti Virgini paruit puella; remque divinitus acceptam eventus comprobavit. Vix enim novum Numisma in vulgus prodit, illico a christifidelibus, uti religio Matri sanctissimae pergrata, colit certatim ac gestari coeptum; in Gallia primum,

mox, probantibus Episcopis, ubique terrarum. Cuius augescantis in dies reverentiae ac fiduciae id causa fuit, quod a Virgine respiciente plurima patrabantur mira seu corporis aërumnis levandis, seu animis e vitiorum cœno eruendis.

**R.** Ego ex ore Altissimi prodivi, primogénita ante omnem creaturam: ego feci in caelis ut oriretur lumen indeficiens. \* Nondum erant abyssi, et ego jam concepta eram. **V.** Deus enim creavit me in iustitia, et apprehendit manum meam, et servavit me. — Nondum.

**Lectio v.**

**I**N his illud prae ceteris memoratu dignum, quod Alphonso Ratisbonae Romae contigit decimo tertio Kalendas Februarii anno millésimo octingentésimo quadragésimo secundo, legitimo ecclesiasticae auctoritatis testimonio comprobatum. Argentorati iudicis ortus parentibus, in Orientem iter faciens Alphonsus Romae substiterat. Ubi quum amicitiam cum nobili viro, ex haeresi ad catholica sacra converso, junxisset;

is, adolescentis miseratus vicem, omni ope conténdit ut illum ad veram Christi religiõnem traduceret. Nihil tamen verbis profectum; unum hoc impetratum, ut hebræus homo sacrum Déparæ Numisma e collo pendens deferret. Preces ínterim pro eo ad Virginem Immaculatam adhibebantur. Nec diu Virgo exorata auxiliũ conferre distulit. Nam, quum Alphonsus templum sancti Andræe in vico nemorénsi, vulgo *delle Fratte*, fortuito sub meridiem esset ingressus, repente illi ædes obscurari visa, una excepta Archàngeli Michaélis cella, unde vividior contra lux emicabat. Eo dum, horróre corrèptus, advertit oculos, ecce illi beata Virgo Mariã conspiciendam se præbet vultu mitissimo, eoque habitu quo in sacro Numismate refertur. Cœlesti visu subito immutari Alphonsus; tum lácrimis perfusus judaicam abhorre perfidiam, et cathòlico paulo ante detestabatur, veram profiteri totòque pectore amplècti. Christiã-

na dógmata edóctus, paucis post diébus, communi Urbis lætítia, sacro baptísmate lustrátus est.

✠. Nihil inquinátum in eam incúrrit: \* Candor est lucis æternæ et spèculum sine mácula. ✠. Est enim hæc speciósior sole, et luci comparata invenitur purior. — Candor est.

**Lectio vij.**

**T**antæ igitur pientissimæ Matris per sacrum Numisma potèntiæ ac liberalitatis ut memoria recoleretur, simulque christianarum gentium erga Immaculatam ejusdem Virginis Conceptiõnem religio ampliõres habere auctus, censuit Apostólica Sedes, quod dudum ab ea pro sacratissimo Rosário et carmelítico Scapulári concessum hanc sanctissimæ Dei Parentis et sacrum ipsius Numisma peculiari festo quotannis commemoranda. Quamobrem, tota factõrum serie a Sacra Rituum Congregatiõne recognita maturèque perpendensa, ex ejusdem Congregatiõnis consúlto Leo décimus tertius Põntifex máximus societati Pres-

byterorum sancti Vincentii a Paulo, quibus ex sancti Auctõris lege solèmnè semper fuit illábem Mariæ originem profiteri et colere, Manifestatiõnis ejusdem beatæ Virginis Officiũ et Missam celebrare concessit, idemque indúltum ad singulos Episcopos ac Religiosorum familias petentes extendit. ✠. Signum. 546.

**In III. Nocturno.**

✠. Esto mihi in domum refúgii. ✠. Ut salvum me facias.

Lectio sancti Evangelii secundum Joánnem.

**Lectio viij. Cap. ij.**

**I**n illo tempore: Nuptiæ factæ sunt in Cana Galilææ: et erat Mater Jesu ibi. Vocatus est autem et Jesus, et discipuli ejus, ad nuptias. Et reliqua.

Homilia sancti Bernardi Abbatis.

**Dom. I. p. Epiph. Serm. j.**



Inum non habent. Compassa est Maria eorum verècundia, sicut misericors, sicut benignissima. Quid de fonte pietatis procederet nisi pietas? Quid, inquam, mirum si pietatem exhibent viscera pietatis?

Nonne qui pomum in manu sua tenuerit dimidia die, reliqua diè parte pomi servabit odorem? Quantum igitur viscera illa virtus pietatis affecit, in quibus novem mensibus requievit? Nam et antementem replèvit, quam ventrem, et cum processit ex útero, ab ánima non recessit. Dúrior fortasse et austerior vidèri posset respõsio Dõmini; sed nõverat ille, cui loqueretur; et quis loqueretur illa non ignorabat. Dénique ut scias, quomodo respõsum ipsum accèperit, aut quantum de Filii benignitate præsumperit, ait ministris: Quacúmque præceperit vobis, servate et facite.

✠. Hortus conclusus soror mea sponsa, hortus conclusus, fons signatus: \* Emissiones tuæ paradysus, o Mariã. ✠. Aperi mihi, soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea. — Emissiones.

**Lectia viij. Ibid. Serm. ij.**

**Q**uid mihi et tibi est illi est, Dõmine? Nonne quod filio et matri? Quid ad illam pertines quæris, cum tu sis benedictus fru-

ctus ventris ejus immaculati? Nonne ipsa est, quæ salvo pudore concepit et sine corruptione te peperit? Nonne ipsa est, in cuius útero novem mēnsibus moratus es, cuius virgineis ubéribus lactatus es, cum qua jam duodecim annorum factus de Jerúsalem descendisti, et eras subditus illi? Nunc ergo, Dómine, quid molestus es illi, dicens: Quid mihi et tibi? Multum per omnem modum. Sed manifeste jam video, quod non velut indignans aut confundere volens Virginis Matris teneram verecundiam, dixeris: Quid mihi et tibi? Cum, venientibus ad te juxta Matris præceptum ministris, nihil cunctatus facias quod illa suggessit.

℞. Magnificat ánima mea Dóminum: \* Quia fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen ejus. ℞. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generatiões.—Quia. Glória Patri. Quia.

**Lectio ix.**

Serm. de duod. prærog.  
**Q**uid ergo ad Mariam accédere trépidet humana fragilitas? Nihil austerum in ea, nihil terri-

bile: tota suavis est, omnibus offerens lac et lanam. Revólve diligentius evangélicæ historiæ seriem univérsam, et si quid forte increpatórium, si quid durum, si quod denique signum vel tenuis indignatiónis occurrerit in Mariá, de cetero suspéctam hábeas, et accédere vereáris. Quod si (ut vere sunt) plena magis ómnia pietátis et grátia, plena mansuetúdinis et misericórdia, quæ ad eam pertainent inveneris, age grátias ei, qui talem tibi mediátricem benigníssima miseratióne providit, in qua nihil potest esse suspéctum; quæ omnibus misericórdia aperit, ut de plenitudine ejus accípiant univérsi, captivus redemptiõnem, æger curatiõnem, tristis consolatiõnem, peccátor véniam, justus grátiam, ut non sit, qui se abscondat a calore ejus.

Te Deum laudamus. 20.

**AD LAUDES.**

℞. O Mariá, sine labe originali concepta. ℞. Intercede pro nobis, qui ad te confúgimus.

Ad Benedictus, Aña. Pó-suit in ea verba signórum

suórum et prodigiórum suórum in terra.

**Oratio.**

**D**omine Jesu Christe, qui beatíssimam Virginem Mariam matrem tuam ab origine immaculatam innúmeris miraculis claréscere voluisti: concède; ut ejúsdem patrocinium semper implo-rantes, gáudia consequá-mur ætérna. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

**Commem. Feriæ.**

**IN II. VESPERIS.**

℞. Signum magnum apparuit in celo. ℞. Múlier amícta sole et luna sub pedibus ejus.

Ad Magnif. Aña. Sancta Mariá succurre miseris, juva pusillánimes, réfove flébiles, ora pro pópulo, intérvieni pro clero, intercede pro devóto femíneo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicúm-que célebrant tuum sanctum Patrocínium.

**Oratio ut supra.**

**Commem. Feriæ.**

DIE XXVIII. NOVEMBR.

**S. Jacobi de Marchia**

**Confessoris. Duplex.**

Omnia de Comm. Conf. non Pont. [97] præter sequentia.

**Oratio.**

**D**Eus, qui ad animárum salutem, et peccátó-res e vitiórum cœno ad viam virtútis revocandos, beátum Jacóbum Confessorém tuum Evangélii præcónem exímium effecísti: concède propítius, ut ejus intercessiõne a peccátis ómnibus expiáti, vitam consequámur ætérnam. Per Dóminum.

**Commem. Feriæ.**

In j. Nocturno, Lectiones de Scriptura occurrente.

**In II. Nocturno.**

**Lectio ix.**

**M**acóbus Monte Prandóno Picéni oppido, in diocési Asculána, piis paréntibus natus, ab ipsa puerítia bonarum ártium et litterárum stúdia magna cum pietáte conjúnxit. Adolés-cens mundi vanitátem cógitans, Carthusianórum institúto nomen dare constitúerat: Deo tamen, qui eum ad animárum salutem, et fidei propagatiõnem destináverat, ducente, Minórum familiam ingressus est. In ipso tirocinio, quod in cœnóbio Cárcerum apud Assisium pósuit, obediéntia, pau-

pertate, ceterisque virtutibus ita excelluit, ut religiosæ perfectionis exemplar absolutissimum ab omnibus haberetur. Virginitatem perpetuo illibatam servavit, trium horarum somno contentus, reliquam noctem divinis in laudibus, cruentis flagellationibus rerumque coelestium contemplatione transigebat. Loricam ferream supra nudas carnes annis gestavit prope viginti, quam postea jussu sacerdotis, qui ejus confessiones excipiebat, cilicio asperissimo commutavit. Semel in die pane et aqua vescebatur, additis raro crudis fabis herbisque silvestribus obsonii loco. Quam durissimam vivendi rationem tenuit, donec ætate provectum, et ob assiduos labores mala affectum valetudine, ut mitius aliquando secum ageret, sancti Bernardini Senensis auctoritas impulit.

℞. Honestum fecit illum Dominus, et custodivit eum ab inimicis, et a seductoribus tutavit illum: \* Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Justum deduxit Dominus per vias

rectas, et ostendit illi regnum Dei. — Et dedit.

**Lectio v.**

**S**acerdos factus, et ad munus concionandi delictus, vivo et efficaci sermone flagitia hominum constanter et libere increpabat: nec viros nobiles ac potentes reprehendere est veritus, si quos criminibus irretitos offendisset; tantusque fiebat ad eum audiendum concursus, ut cum frequentiam capere vel magna templa non possent, in plateis atque areis suggesta erigi passim oporteret. Hinc imperatores, reges et Præsules amplissimi certatim apud se eum concionantem habere voluerunt. Mediolani de Magdalene lacrymis dicens, sex et triginta impudicas mulieres a turpi quæstu avocavit, quibus etiam pecunia corrogata ad pie vivendum domicilium exstruxit. Tum Sfortia duce ac civibus vehementer instantibus, ut archiepiscopale munus susciperet, eam dignitatem constantissime recusavit. Bis centena infidelium millia baptismi lavacro tinxisse, et in Hungaria brevi tempore quin-

quaginta hæreticorum millia ad Ecclesie sinum reduxisse fertur. In Italia nequissimam Fraticellorum sectam, iterum ac tertio reviviscentem, penitus exstinxit. Ferrariensi concilio, quod postea Florentiam translatum fuit, interfuit. Sigismundum et Albertum imperatores in maximis regni difficultatibus, præsertim vero in expeditione in Turcas promovenda, et hæreticis debellandis, consilio et opera adjúvit. Sancto Joanni a Capistrano sacri socialis belli adversus Turcas, pontificiæ legationis consiliario in Hungaria defuncto successus fuit.

℞. Amavit eum Dominus, et ornavit eum: stolam gloriæ induit eum, \* Et ad portas paradisi coronavit eum. ℣. Induit eum Dominus lorica fidei, et ornavit eum. — Et.

**Lectio vj.**

**M**artini quinti, Eugénii quarti, Nicolai quinti, Callisti tertii, Pii secundi, Pauli item secundi et Sixti quarti contra hæreticos Fraticellos, Manichæos redivivos, Patarenos, Hussitas, Taboritas

legationibus functus est. Quibus in expeditionibus Italiam universam non semel percucurrit: Illyricum tertio, Pannoniam, Sarmatiam, Bohemiam, finitimasque provincias peragravit. Tot autem itinera sine sacco et pera, Apostolorum more pedibus confecit, ope divina unice fretus; quæ tum maxime patuit, cum rejectus a nauta Padum amnem, pallio super aquas instrato, cum socio pertransiit. Denique Neapoli, quo Sixti quarti jussu, instante Ferdinando rege, profectus erat, extremo morbo correptus, Ecclesie sacramentis rite susceptis, anno millésimo quadringentesimo septuagesimo sexto, ætatis octogésimo quinto, quarto Kalendas Decembris, spiritum Deo reddidit. Multis post obitum miraculis claruit, quibus rite cognitis, Urbanus octavus ejus Officium et Missam ab ordine fratrum Minorum et a clero Neapolis celebrari permisit, quæ Jacobum inter alios patronos cooptaverat. Corpus ejus in æde sanctæ Mariæ Novæ incorruptum adhuc et flexi-